

VELASCUS
ET
GONZALIDES
*INGENUARVM ARTIUM
monumentis consecrati.*

Nunc, siquando, sacrum spirantes acrius ignem;
 Nunc magis æthereis ornatæ pectora donis,
 Artifices décorum, famæque ævique parentes,
 Heroum altrices cœlo descendite Divæ;
 Quæque patent vobis CAROLI sub Principis umbrâ,
 Has implere juvet meliori lumine sedes.
 Dignior in terras antehac vos nulla vocavit,
 Nulla magis totum sibi numen causa poposcit.
 En nova materies vestris decoranda paratur
 Artibus. Herculeas jam prætergressa Columnas,
 Exhibit heroas vobis Hispanica virtus
 Insolitos. Veterum facta illustrasse virorum
 Hactenus esto labor: satis est ornata vetustas;
 Postulat en præsens ornari, postulat ævum.
 Florentes jam laude nova celebrate VELASCUM,
 GONZALIDEM celebrate duces, quos orbis uterque
 Undique vexatum rate, milite, fulmine *Morrum*
 Inviictis tutari animis tela omnia contra,
 Tela *Britannorum* stupuit; quos *Anglia* stantes
 Mœnibus eversis, ferri flammæque furentis
 Impavidos, per mille neces occumbere tandem
 Vedit & invidit, victis se fassa minorem.
 Horum igitur pulchris vivit si nomen Iberum
 Funeribus, si laude nova magis inde superbit;

Quam

Quàm vobis dignum , vobis , Chorus alme , decorum
Mille per egregii monumenta æterna laboris
Pro vita vitam , pro laude rependere laudem!
Ipse etiam , cuius sub amico numine florent,
Auspiciisque vigent vestræ felicibus Artes,
Ipse operum stimulator adest & maximus au^tor
CAROLUS. Heroum quantis genus ille duorum
Amplificat titulis , quantis & honoribus ornat!
Nomina ut amborum gaudet terraque marique
Spargere & Hispanis memoranda inscribere fastis,
Quò pariter servent elementa & sacula famam!
Eia agite , à tanto documentum au^tore volentes
Accipite , augustisque alacres accedite votis.

His ego ad ornandas magnorum quippe virorum
Illustres animas meritisque colenda tropæis
Funera , Palladias instabam accedere Divas,
Cum subitò hortantis , nec fallimur , excita Musæ
Cantibus , excelsi visa est de vertice Olympi
Plus solito radiata comas , cumulataque gazis
Largius æthereis , ac se divinior ipsâ,
Palladis alma cohors delabi , nube sedentes
Quæque sua , pariterque sua caput iride cinctæ.
A dextra lœvaque Deas læto agmine ovantes
Assidui stipant comites fidique ministri,
Et *Labor* , & jugi gaudens *Industria* curâ,
Ingeniumque sagax , necnon *Inventio* rerum
Dives , & insolito *Novitas* gratissima cultu;
Tum cœlum intrepidis tentans *Audacia* pennis,
Grande *Decus* , mollisque *Lepos* , atque altera demum
Intellecta quidem , verùm sine nomine * virtus.
Unà omnes circumvolitant , præeunte volatum
Obsequio. Quocunque viam , quo lumina cunque
Artifices vertere Dex , formosior Æther
Ridet , & ipsa novas sumit variata figuræ,
Induit atque novum melior Natura decorem.

Jam-

* Et no sé que.

Jamque pedem notis inferre penatibus illas
Aspicio , magnisque animos accingere cœptis.
Obvia certatim se Saxa , Metalla , Colores
Divinâ tractanda manu præbere videres.
En gestit Color ipse teri , Marmorque secari,
Æs cupid incidi , rapidisque liquefcere victum
Ignibus , Argentum gaudet , Aurumque feriri;
Et modò in Heroum laudes Patriæque nitescant,
(Ingenuas nam tangit honos animata per Artes)
Vulnera nulla pati , tormentaque nulla recusant.
Haud mora : propositus sequitur labor , arma potentes
Arma movent præclara manus. *Pictura* Sorores
Emicat ante alias , tabulâque effingere curat
Angligenum totis oppressam viribus Arcem,
Neptunum Martemque cavo circum ære tonantes,
Pugnaces utrinque iras & prodiga lucis
Pectora. Præcipitis nitentem ad culinina Castri
Hostilem hinc aciem simulat , Castrum inde tuentes
Fortiter Hispanos , spirantia valla , maniplos.
At vos præcipue , Par nobile *Defensorum*,
Magnanimi Heroes , geminum spectanda per orbem
Lumina , queis lacerâ venit super arce triumpho
Pulchrior occasus , vos ostentare laborat;
Vestra juvat vivis animare coloribus ora,
Virtutem immemori vestram subducere letho.
Proxiina , vietrici fidens *Statuaria* cælo,
Marmore formatis fusove rigentibus ære
Agreditur signis imitari clara virorum
Corpora. Ut ingentes reddit simul illa jubentum
Certantumque animos ! Pacata ut fronte serenos,
Fulmineas Martis quibus aspexere procellas,
Cernere dat vultus , pugnatque æquare metallis,
Quo steterunt ambo super ardua mœnia , robur
Parte aliâ quantas meritæ pro laudis honore
Invictis Ducibus mireris surgere moles,
Tectonices audacis opus ! hinc scilicet arcus

Gran-

Grandibus incisos titulis , insculptaque saxo
Fortia facta virum ; sublimes inde columnas,
Quas circum artifici serpunt illustria gyro
Nomina , præclaris belli distincta coronis;
Illinc pyramidas & mausolea perennem,
Dum tacitos condunt cineres , condentia famam!

Quid referam ut variæ dominarum ad jussa minores
Conveniant Artes , sociisque fideliter adsint
Officiis ? Hæc vel pietas solidasve figuræ,
Immanesve operum erectas ad sydera moles,
In breve concludens spatum , describit in ære;
Mox levibus subito mandat , mirabile , chartis.
Illa cavans lento chalybem molimine , cæcum
Perficit intus opus ; subiectis deinde metallis
Signatum , in lucem versatilis impete præli
Excitat. Ex unâ , sociantes oribus ora,
Parte micant gemini Heroes ; quosque invida ferri
Vis simul extinxit , simul Ars dat vivere in auro;
Ex aliâ invasæ defensæque Arcis imago,
Totaque mirificæ fulgent spectacula pugnæ.
Plurima sic adeò , variis impressa figuris,
Charta volat ; fulvo pretiosa numismata nimbo
Per populos jaætata pluunt , sacrasque Dearum
Multiplicant operas , geminique Herois honores.
His ergo décorum gazis , hoc cœlite cultu,
Palladiæ vobis , heroica numina , Divæ,
Tam bene de Patriâ , de Rege & nomine Ibero
Promeritos ornare Duces placet. O mea felix,
Surgere si vestris possit vox æmula factis,
Scandat ut illorum digno fastigia cantu!
At mihi sat vestros tenui dixisse labores
Murmure ; tantorum laudes implere viorum
Non nisi Tres valeant Artes , Musæve Novenæ.